



CONCIONATORIA

PATRV M

BIBLIOTHECA.

PROPRIVM DE TEMPORE.

DOMINICA PRIMA ADVENTVS.



ANCTI ADELMI sermo de Aduertu Domini tractat. Et explicat quomodo venerit, qui vbique pre-
sente est. 2. Venisse docet vt agnosceretur

humanitas eius; Diuinitas, Potestas, Benignitas, quæ omnia misericordiae fuerunt, per quam seipsum ex inani iuit.

3. Hoc oleum esse docet, quo leuetur iugum captiuitatis nostræ. 4. Iugum illud, & quidem multiplex describit, quod leuatum docet Crucis Christi beneficio. 5. Vndecim onera enumerat prefigurata ab Isaia Propheta. Primum Babilonis, quod amorem mundi significat; & onerat, labore, timore, dolore. Secundum Philistinum, id est, superborum demonum, quod onerant nos, tentatione & afflictione Tertium Moab, quod est necessitas præsens & in-
euitabilis circa corpora; & onerat solitudine terrenorum. Quartum Damasci, id est, corruptionis naturæ, quæ grauat ad peccatum. Quantum Ægypti, id est, tenebrarum ignorantie & iniquitatis. Sextum deserti maris, id est, societas reproborum qui sanctos perfe-
quuntur, vel qui à Deo relinquuntur in

malitia sua. Septimum, Dumæ, id est, occulta animi vexatio & inquietudo. Octauum, In Arabia, quod oritur ex consideratione mortis & horrore sortis extremæ. Nonum Vallis visionis id est, Vanitatis concepta ex profectu spiritali. Decimum Tyri cum angustatur animas expœnitentia & laboribus. Vndecimum Iumentorum austris, quod oritur ex charitate qua alijs prodesse volumus, & ex aliorum defectibus onerat. 6. Hortatur vt onera ista excutiamus, vt per misericordiam leuati in iudicium non incidamus. *A pag. 5. vsque ad 15. Et deinceps quedam ex his oneribus exponit allegorice & moraliter vno & triginta alijs sermonibus a pag. 17. vsque ad 224. qui infra pro toto Aduertu referuntur.*

✠ B ALBERTI magni Sermo ad eaverba *Math. 21. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus &c.* Circa quæ quatuor vult notanda. I. Quis sit iste Rex scilicet filius Dei; Rex incarnatione; & Ascensione. II. Quæ sit filia Sion, cui annunciat; fidelis anima; cum est filia mandati de diligendo proximo; & speculi, quod est Christus. III. In quali equitatura veniat; sedens asino. qui significat carnem assumptam; in qua vilibus oneravit se, & vilioribus à Iudeis oneratus est. IV. Ad

A ij